



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

43. An liceat procurare abortum ad evitandum periculum vitae, & infamiae
alicuius puellae praegnantis? Et quando mater in aliqua infirmitate post
foetus animationem periculosè laborat, & nullum aliud ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quiretur certitudo de propria salute, & certitudo de salute futura proximi, vanum ferè & metaphysicum magis quam morale redderet præceptum illud, quod debemus pro nostris proximis (scilicet ad minus extremè indigentibus) animas nostras ponere, si solum obligaret quando aliquis certus esset de propria salute aeterna acquirenda, si tunc moriatur; quod enim quisque hoc de se scire potest.

3. Melius ergo P. Sanchez, ubi *suprà* num. 17. dixit peccare contra charitatem matrem ejusmodi medicamentum assumendo casu quo spes probabilissima à Medicis conciperetur, fore ut matre cum vitæ suæ periculo ab iis medicamentis abstinere, factus in lucem prodire posset, ut baptizaretur; è contra verò adhibitis iis medicamentis, factus sine baptismo periret. Addit tamen hunc casum rarissimum esse, ac moraliter impossibile, quia matre lethaliter ægotante, humores corrumpantur, & inficiunt alimentum, quo fœtus nutriendus erat, itaut penè miraculum sit, matre pereunte fœtum incolumem remanere. Hucusque Lugo.

4. Non desunt tamen Doctores contrariam sententiam tenentes, quam novissimè videtur Ludovicus Caspensis in *Curs. Theol. tom. 2. tr. 18. sect. 5. n. 139. & seq.* ubi sic ait. Vbi solum agitur de corporali vita filij & matris, etiam post animationem, licitum est matri sanguinem mittere, quia mater habet jus ad suum sanguinem tanquam scilicet servientem sibi neque tenetur illum intra se retinere cum tanto sui periculo, ut conservet vitam filij, sicut neque post natum filium tenetur mater retinere lac, etiam si necessarium sit vitæ prolis jam natæ ex utero. Deinde judicant Medici etiam si matri non applicetur remedium ad sanguinem mittendum, fœtus nihilominus non esset vivus nasciturus, tunc bene & licitè posset remedium illud applicari ad sanguinem fundendum; tunc enim jam non agitur de vita corporali prolis.

5. Secundò dicendum est, non teneri matrem pro salvanda vita spiritali filij, pati mortem corporalem, scilicet ad hoc ut filius baptizetur, quando ipsa timet probabiliter se esse in peccato mortali: non enim tenetur vitam spiritualem propriam contemnere pro vita spiritali alterius. In casu verò in quo mater esset moraliter certa de sua vita spiritali, est tota difficultas, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spiritali prolis, cujus decisio pendet ex communi questione, an pro salute spiritali proximi, teneamur propriam corporalem vitam perdere? Et multi affirmant esse scilicet obligationem. Alij verò dicunt hoc esse verum quando quis ex iustitia tenetur vitam spiritali alterius consulere v.g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne fideles subditi sine sacramento Pœnitentiæ moriantur. Alij autem docent, quavis in aliis casibus sit talis obligatio, negant tamen in nostro casu: & utraque sententia est probabilis, & tuta. Ita Caspensis.

RESOL. XLIII.

An liceat procurare abortum ad evitandum periculum vitæ, & infamiae alicujus puellæ pregnantis?

Et quando mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculose laborat, & nullum aliud remedium sit, an possint præbere ei medicamenta directe tendentia in curationem, ut scilicet vena, balnea, pharmacum, &c?

Sed difficultas est, quando medicamenta aequè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, ubi salus infirmæ omnino desperata est & fœtus etiam periret, an inquam in tali casu supradicta medicamenta liceat præbere?

Et aliqua alia contingentia circa hoc notantur & tandem

Tom. V.

docetur, quod non sint adhibenda medicamenta dubia in supradicto casu. Ex p. 3. tract. 5. & Milc. 1. Ref. 11.

§. 1. Negativam sententiam docent Tannerus in 2. 2. D. Thomas, disp. 4. q. 8. dub. 4. n. 8. Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. num. 10. Sylvius in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 7. quaeritur 4. conclus. 3. Finellius tract. de castres. part. 2. cap. 5. v. abortus, §. 1. n. 3. Azorius, & Zanardus ubi infra, Bellocchius in praxi Theol. mor. p. 2. q. 8. n. 78. Filiucius tom. 2. tract. 29. cap. 6. n. 130 & alij. Ratio est, quia non sunt faciendi mala, ut eveniant bona, & unde nullo bono fide honestari potest abortus.

2. At his non obstantibus aliqui ut notat Zanardus in direct. conf. part. 1. de sacram. marim. cap. 41. q. 17. & Azorius tom. 3. lib. 1. cap. 4. q. 1. docent in tali casu licitum esse procurare abortum, quia cum fœtus non sit animatus, nulli sit injuria si procuraretur remedium, ne concipiat. Deinde probabiliter asserunt Aragon, Sayrus, Lessius, Henriquez, & Reginaldus, Sanchez, & alij, quos citant, & sequuntur Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 4. & Homobonus tract. de cast. refer. part. 3. c. 4. quod quando aliud non suppetit remedium pro salute infirmæ matris, potest quis licitè procurare abortum, si fœtus nondum est animatus. Ergo etiam facere licitum erit in nostro casu. Negat hanc consequentiam Sanchez & adducit disparitatem rationis.

3. Sed illum impugnatur doctissimus Pontius de matr. lib. 10. cap. 13. num. 2. ubi sic ait. Si licet evacuatio fœtus nondum animati ad vitandam mortem matris, & restituendam sanitatē, licet etiam procurare abortum nondum animatum, cum ad famam, & statum conservandum opus erit; casus enim sese offerre potest adeò premens, ut nullo alio modo possit mulier eripi, nisi abortu fœtus nondum animati, quod tamen Sanchez non vult admittere, sed nullo convenienti assignato discrimine. Ita Basilus. Unde vel negandum in utroque casu licitum esse procurare abortum, ut negat Basilus, vel concedendum est in utroque casu licere, & hoc ultimum novissimè docet Franciscus Torreblanca de mag. lib. 2. c. 43. n. 10. ubi sic ait. Quando ex partu concepto evidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama ejus lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis possit subire, bene poterit poculum abortionis præberi, dum fœtus tamen non erit animatus. Ita Torreblanca, qui, ut vides, aperte docet licere procurationem abortus ad tuendam vitam, vel honorem puellæ pregnantis. Sed hæc opinio sit probabilis, judicent viri docti, mihi enim omnino non placet. Sed quia incidit sermo de abortu.

4. Notandum est hic obiter, quòd si mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculose laboraret, & nullum aliud remedium sit, possunt præberi medicamenta directe tendentia in curationem, ut scilicet vena, contra Pontium de matr. lib. 10. cap. 14. n. 6. & Valquez opusc. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 7. n. 28. & c. §. 2. dub. 6. n. 23. etiam balnea, & pharmaca ad purgationem ventris, quia mater habet jus ad talia medicamenta, licet indirectè, & per accidens ex illis sequatur mors fœtus. Ita communiter DD. Sed difficultas est, quando medicamenta aequè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, ubi salus infirmæ omnino desperata est, & fœtus etiam periret, an inquam in tali casu liceat supradicta medicamenta præbere? Negativè respondent Corduba, Lopez Rodriguez & Vega apud Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 19 & 20. at ipse affirmativam sententiam docet etiam in casu dubij.

5. Et hanc sententiam docent etiam Ioan. de la Cruz in direct. part. 1. præcept. 5. q. 1. dub. 7. concl. 3. & Villalobos in sum. tom. 2. tract. 12. dub. 13. num. 2. ubi sic asserit. [Quando la medicina y gualmente se orde-

C 2

Sup. hoc in duabus ref. seqq. & sup. in Ref. 38. §. 1. cursum in fin. & lege etiam doct. Ref. & §. not. seq. & Ref. not. 1. post seq.

* Sup. hoc sup. in Ref. 36. §. Nec valet à lin. 7. & in Resolut. 38. quamvis in ista vitima ref. sit pro fœtu etiam animato.

Sup hoc sup. in Ref. 38. & 39.

Sup. hoc sup. in Ref. 40.

Sup. hoc casu dubij ibidem §. Sed difficultas, & in fin. §. Et hanc hujus Ref.

na à la fufée de la madre, y à la muerte de la creatura, no haviendo otro remedio para librar la madre, es licito tomarla: por que se ha de preferir la vida de la madre, y muerta ella à maravilla vivira la creatura, y lo mismo digo, quando el medicamento es dudoso.] Si igitur de vita matris, & fœtus omnino desperatum fit, licitum erit medico, & ad id tenetur, ait Sanchez, applicare medicinas ad matris salutem & ad fœtri nocendum ejusque abortum: imò etiam si medicamenta sint dubia, auxilium, vel mortem potius sint illatura, in tali eventu melius est anceps auxilium experiri, quam omni spe destitutam, sincere infirmam perire. 6. Notandum est tamen cum Lessio lib. 2. c. 9. dub. 10. num. 63. & aliis communiter, quod quando proles est animata, illicitum erit, præbere matri medicamentum directe curativum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile, prolem sine illo vivam edendam. Sed Sanchez ubi supra de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 17. existimat casum hunc rarissimum esse, ac moraliter impossibile; matris enim morbo laborantis lethali, corrupti humores alimentum quo puer nutriendus est, ita inficiunt, ut penè miraculum sit, matre pereunte fœtum incolumem evadere. Sed ad alia procedamus.

RESOL. XLIV.

An ad evitandum periculum vitæ, & infamiae puella prægnantis, sit licitum procurare abortum, si fœtus non sit animatus? Ex part. 6. tract. 8. & Misc. 3. Ref. 37.

^{Sup. his seqq. in hoc §. sup. in ref. 40. §. 1. in fin. & §. Sed diff. cultas.}
^{Sup. hoc sup. in ref. 10. §. rectè in fin. & in ref. 41.}
^{Quæ hic est §. 1. antecedens, & in ref. seq. & sup. in ref. 38. §. 1. in fin. sed lege eam à princ. & §. 8. ejus primæ not.}
PRO affirmativa sententia in 3. part. tract. 5. ref. 11. adduxi Torrellancam de Magia, lib. 2. cap. 43. num. 10. & quidem putabam suam sententiam à nemine sequendam esse, sed deceptus sum, nam illam postea docent Leo Zambell, in Repertorio Morali, verb. Medicus n. 11. Bordon, in Consiliis Regul. ref. 45. §. 4. n. 4. in fine. Et hanc sententiam tanquam probabilem admittit novissimè Magister Lezzana in summa Questionum Regularium, tom. 3. verb. Abortus, n. 5. ubi sic ait. Peccatum grave est procurare abortum etiam in casu quo fœmina Nobilis, aut Monialis cum viro peccaverint, & timent mortem vel infamiam, vel scandalum si gravidæ fiant, non enim sunt faciendæ mala, ut veniant bosæ, & est contra ordinem impedire conceptionem fœtus, nam semen & copula à natura sunt instituta ad prolis conceptionem & generationem. Dicit tamen Azorius oppositam esse opinionem aliquorum, quos nō refert, quam credo probabilem solum in eo casu quo nullo alio omnino modo, nullavē viā impediri posset infamia, aut mors talis fœminæ, tum enim non videtur esse intrinsecè malum procurare abortum fœtus inanimis, aut impedire conceptionem ipsius. Ita Lezzana, cui etiam addendus est Ægidius Trullench in Decalogum, tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 1. sic asserens. Aliqui existimant si aliud non suppetat remedium, licere procurare abortum fœtus tamen inanimati ad evitandum periculum vitæ, & infamiae puellæ prægnantis, sicut diximus licere ad evitandam mortem naturalem. Hæc autē opinio non omnino placet Diana, & meritò quidem, non tamē videtur improbabilis. Ita Trullench. Et tandem non desinam hic adnotare, quod consultus de hoc casu à viro nobili, & fide digno testatus est mihi doctissimum Theologum Societ. Jesu quem ego scio, respondisse, ut supradictum est licitum esse pro salvanda vita & honore puellæ prægnantis procurare ejus abortum ante fœtus animationem. Sed adhuc ego non discedo à sententia negativa, quam supra docui, & docet novissimè pluribus citatis, & me etiam relato Pater Thesaurus in Praxi, part. 2. verb. Abortus, cap. 1. limit. 3. ubi testatur hanc sententiam

esse communem inter Theologos, & Iustas, quod etiam fateatur Eligius Bassæus in florib. Theolog. præf. vers. Abortus, num. 1. & contrarium esse improbabile tenet doctissimus, & amicissimus Pater Magister Candidus in Disquis. Mor. 10. 2. disquis. 1. art. 1. Imò audio, si verum est, fuisse damnatum in Congregatione Sancti Officij.

RESOL. XLV.

An pro mendo honore, & vita puelle prægnantis licitum sit sine timore censurarum procurare abortum fœtus animati?

^{Et an doctrina hujus questionis vera sit, in femina cuiusque cumque conditionis id est, si Monialis sit & Deo sacra, aut Nobilis, aut etiam si scandalum timeatur?}
^{Et quid postquam natus est fœtus, an licitum sit eum occidere, vel suffocare, ne reveletur peccatum? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 32.}

^{§. 1. Pro probabilitate partis affirmativæ adduxi quos DD. in p. 6. tr. 8. * ref. 37. Sed ego illam prorsus improbabilem puto; Et idcō negativam sententiam novissimè meritò docuit Ludov. Cuspinus in curs. Theol. tom. 2. tract. 18. disp. 3. sect. 5. n. 40. ubi sic ait. Non tamen est licitum applicare matri medicinas præfatas, quando non periclitatur vita matris ex malis humoribus, vel ex abundantia sanguinis: unde si tales medicinæ sumantur ad abortum fœtus, vel impediendam generationem, quia alias si detegatur peccatum matris, occidetur à marito, vel à propinquis. In hoc ergo casu non licet sumere medicinas, vel applicare, propter vitandam mortem matris cum periculo mortis fœtus: licet neq; postquam natus est, licitum est illum occidere vel suffocare ne reveletur peccatū. Ratio est, quia tunc fœtus non est aggressor, ut ita dicam, sed mater ipsa est causa sui periculi provenientis ab extrinseco. Unde patet minus licitum esse procurare abortum ad vitandam infamiam, vel propter periculum quod mater est experta aliquando in ipso partu. In his ergo casibus, neque per accidens, neque indirectè licet fœtum occidere, vel exponere mortis periculo; esset enim talis mors voluntaria, etiam per accidens intentā. Ita Cuspinus, cui adde Scipionem de Rubis in Apbor. Epist. ver. Abortus n. 3. Mazuchello tract. de cast. ref. 2. c. 3. disp. 4. n. 24. & Dicaillum de Iust. lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 13. n. 173. qui addit hoc verum esse in femina cuiuscumque conditionis, id est etiam si nobilis sit, aut monialis & Deo sacra, aut etiam si scandalum timeatur. Probat primò, quia non sunt faciendæ mala, ut eviantur bonæ. Secundò quia hoc est contra naturam generationis; fœmina verò sibi imputet periculum mortis vel infamiae. Et ita hanc sententiam me citato tenet novissimè noster P. Alphonsus de Leone de censuris Recoll. 7. n. 18.}

RESOL. XLVI.

An licitum sit suadere abortum, quando mulier prægnans parata est se occidere ad infamiam vitandam? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 39.

^{§. 1. Negativè videtur respondendum ex P. M. C. dido in Disquis. tom. 1. Disquis. 1. art. 2. dub. 2. n. 5. ubi nostra sententia non videtur admittere consilium ad minus malum. Sed ego teneo affirmativam sententiam cum Mazuchello tract. de cast. ref. 2. c. 3. disp. 3. quæst. 3. difficult. 1. num. 63. ubi sic ait. Quoties pater esset animo firmatus, ac determinatus occidere filiam suam, quam gravidam comperisset ex præ-}